

Georg Bruno

**Tuba Poenitentiae, Ad Inclitos Germanos Inflata: Sed Viris In Utra Que Repub.  
Ecclesia Et Curia laudatiß. ad Inam Stargardiae, autoritate, reverentiâ,  
amplitudine [et] eruditione admodum conspicuis, in templo [et] foro poenitentiam  
singulari zelo ebuccinantibus ...**

Rostock: Reusner, 1602

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730088413>

Druck    Freier  Zugang





Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/  
rosdok/ppn730088413/phys\\_0001](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730088413/phys_0001)



a - C

42.4.

F.m.-1091.

[xx]

# Tuba POENITENTIÆ, AD INCLVTOS GER- MANOS INFLATA:

Sed

VIRIS

IN VTRAQUE REPVB. ECCLESIA ET CVRIA  
laudatiss. ad Inam STARGARDIAE, autoritate, reverentia,  
amplitudine & eruditione admodum conspicuis, in templo & foro  
paenitentiam singulari zelo ebuccinantibus : D. Consulibus, D. Pastro-  
ribus, & mysteriorum Dei Oeconomis omnibus, & Senatoribus  
opt. Suis D. Mecenatibus & fautoribus honore  
& observantia complectendis,

NUNCUPATA

à

M. GEORGIO BRVNONE Scholæ  
apud Anglamenses Rectore.

PRO FELICIS ANNI AVSPICIO.

Psalm. XC V.

Hodie, hodie, si vocem meam audiveritis, nolite obdurare  
corda vestra, sicut illi fecerunt in Massa & Meriba, quibus  
juravi in irâ meâ : Nunquam introibunt in requiem  
meam.



[xx]-08-30  
ROSTOCHII

Excudebat Christophorus Reusnerus. Anno 1602.



## INC LYTÆ GERMANIAÆ DVLCISSIMAM SALVTEM.

*LUC. 19.* **A**CCEPTE ô inclyta, ô pietatis & justitiæ nominis Oceano & Olympo hactenus notissima, ô dulissima mea Patria ; ô suavissima nutricula Germania ; accipe hanc ad salutarem & seriam pœnitentiam te vocantem & invitantem : amplectere, pare, monitores ama : noli aspernari, explodere, exibilare. Vale, & salutem tuam in CHRISTO IESU πλειστηγω omnium bonorum, auxilio Spiritus sancti feliciter & mature operare. Vale, & considera, quæ ad pacem tuam faciunt. Ne nimis sero imponitentiæ tuæ te pœniteat.

*Augustinus Psalm. CII.*

**N**ON mihi placent peccara : sed longanimitate quæro recte facta. Si punirem peccatores, non invenirem confessores. Ergo te DEVS longanimitate sua parcendo ad pœnitentiam adducit. Tu autem quotidie dicis : finitur hodiernus dies, & siccero & crastino die, non enim cras erit ultimus : & tertio die : & subito venit ira ejus. Fratres non tardetis converti ad Dominum. Sicut enim qui præparant conversionem & differunt, & fit in illis vox Corvina CRAS, CRAS, Corvus de arca missus, non est reversus.

Non querit Deus dilationem in voce corvina, sed confessionem in gemitu columbino. Missa columba reversa est. Quam diu Cras, Cras ? Observa ultimum Cras. Quia ignoras, quod sit ultimum Cras. Sufficiat, quod vixisti ad hodiernum Peccator,



# TVBA POENITEN- TIÆ INFLATA AD GERMANOS.

**I**oto corpore & animo cohresco ; obstru-  
pescunt omnes sensus ; singula contremi-  
scunt membra ; hebescunt oculi ; obsur-  
descunt aures ; animi penetralia clau-  
duntur ; obrigent omnia , stant horrore  
coma , & voci perviū non est iter ; quoties  
intueor hæc nostra tempora ; quoties hujus  
nostra etatis constitutionem altiore aliquantò mente examino,  
volvo, revolvo, & mecum in curiam cogitationum secretiorem  
conscendo. Precipitor enim & mergor in quoddam quasi ba-  
rathrum omnium malorum inexhaustum, ex quo pedem referre  
hanc licet ; licuit hæc enus nunquam, nec forsitan posterum  
licebit unquam. Omnia, nimirum, dico, quia sunt plena ma-  
lorum. Et verè congruit ad nostra tempora illa Hesiodi quere-  
la : οὐδέν μή ποτε γαῖα κακῶν, οὐδέν δὲ τάλασσα. Tellus plena malis : ἐγερται  
pontus mala plurima gignit. Nam quæso vos pueros hoc in iussæ.  
Φρονισ्तειω presentes ; aut, si memoria vestra longos non repetit  
annos, quæso vos doctiss. & cariss. meos οὐρανύες εἰς in hoc stu-  
dio scholastico ουδέποτε ; quæso vos universos huius urbis inco-  
las ; quæso te Oceano notissimam & nominatissimam Pomer-  
niam, nutriculam meam ab dulcissimam : quæso te totam Ger-  
maniam, si vox mea tuas pertingit ad aures, patriam  
nostram communem ab suavissimam : Quæ unquam secu-  
la tot malorum genera produxerunt ? omnia ne videntur

conspirasse in nostros hos annos depravandos, corrumpendos, perdendos.

Si iter faciendum esset per tempла, profana, delubra, aras & suggestus, & reverendissime matris Ecclesie conditio exploranda: Existimatne hydram illam Lerneam tot pullulasse columnas, bris & capitibus, quod & ille divina glorie & humanae saecularis salutis; quot dissidia de capitibus pietatis; quot dissensiones de fundamento veritatis; quot pravas & perplexas de multis articulis opiniones; quot de religione nostra disputationes; quot de cultu divino controversias; quot schismata; quot hereses. Accedunt corrupti mores, odia, similitates & invidia docentium & dissentientium.

Si lustraveris palatia Cesarum, & camerae imperiales; atria & vestibula regum; que Galli parlamenta vocant, principum aulas & domus regis; potentum conclavia & theatra; civitatum curias, tribunalia, rostra, fora: Quid invenies? Ecce multa odia; ardentina bella & duella; multum truculentia, violencia, & cruentorum consiliorum.

Quis unquam tot clamores bellorum auribus percepit? Arma ubique crepitant; ferratae stant acies; armatae Phalanges, galeati exercitus, tremendi ipso aspectu, & ore minaces. Bella, bella, Turca, Turca, vociferantur omnes.

Queris ulterius quid restet? En ubi DEVS aras justicie constituit: ibi uiocabatur, Diabolus haras iniquitatis adjungit: ubi cathedras pietatis locavit divina maiestas: ibi infernalis ille Draco fundavit impietatis seminaria.

Custodiæ legum non sunt, aut si sunt, paucissimæ sunt. Templa & Asyla innocentum quis nescit diruta & eversa esse? Pietas caret patronis; studia destituuntur Mecenatibus.

Paucissimæ sunt que DEO & pietati patent, magnatum domus,

domus, quas, ô misericors miserator Domine, tua clementissima  
dextrâ protege, tuere, serva, & nostros clementissimos principes,  
cum viciniis, quorum portæ introcuntem regem gloriae adhuc,  
summo tuo beneficio recipiunt, ô D E V S benigne, pro tua pietate- Psal. 24.  
te, amore tui verbi crescere sine. Ignoscite ceteri, & cogitate  
vos esse DEI vicarios, ignoscite & respicite.

Si denig, te domum contuleris; proprias aedes perlustraveris. Ecce horror, error & terror; labor & dolor; ibi summa nos  
premunt charitates; ibi flagellatur annona, ingravescit omnium  
frumentorum & eduliorum estimatio; ibi quæcunque sunt habenda;  
tanto sunt in pretio, ut comparari nequeant: tanta paucitia, tan-  
ta rerum angustia; tanta inexplicabilis inopia, tantæ difficultates, tot  
molestiae, tot miseriae, ut ne facunda quidem lingua brevi spatio  
exprimere possit, tot subiti casus & mortes repentinae & inopiate:  
tot monstra; tam mirarerum omnium facies, ut dicendo  
assequi nequeam, ac ne quidem singula in animum influant.

Horresco referens, contremisco meditans. Tot sunt quere-  
la miserae plebis; tot viduarum eiulationes; tot pupillorum la-  
mentationes; tot oppressorum threni, tot innocui sanguinis in ca-  
lum clamores; tot peregrinorum ploratus.

Adeò depravata sunt omnia: adeò peccatur ubique: adeò Vir. 3 Geo  
ruerunt omnia in peius, & nihil est ex omni parte beatum. Hor. lib. 2  
car. od. 16.

Addo & hoc, quod unquam seculum fuit tot prodigiorum  
ferax? Quæ etas una in gente, una in regione, uno tempore tot  
vidit portenta; tot cladis futura signa; tot divina indignatio-  
nis characteres; tot exitij extremi nuncios; tot aeterna maledi-  
ctionis premonitores & legatos; tot igneos imbræ; sulphureas  
pluvias, sanguineos nimbos; tantam famam; tot pestes.

Hæc certè dum narrando persequimur omnia, dum cognosci-  
mus, dum contemplamur: quid quoquo aliud ostendunt! quid oculi  
innunt? quid voce & manibus quasi dicunt? profectò uno

spiritu, ore & clamore omnia hec mihi, tibi & singulis insusur-  
rant in aures: imò in ipsa viscera inclamat & personant:  
quod hi torrentes, hac flumina omnia deriventur ex uno pecca-  
torum nostrorum fonte: quod omnes haec flammulae ex incendio  
ira & divina effulgescant.

Quare si auctoritate libet adhibere: si antipharmacis fani-  
tatum restituere cupimus. Morbus probè cognoscendus est:  
remedià querenda deinde: DEV S placandus, indignatio tol-  
lenda, ira lenienda, furor sedandus.

Id autem cum nulla alia re fieri possit & debeat, quàm seria  
non sera, vera & non ficta ad DEV M conversione: danda est  
Psal. 51. nobis opera, ut cor contritum & humilitatum ipso ostendamus &  
offeramus: ut fidei invictissime robur demissò corde concipia-  
mus, ut emendatior in posterum vita sit, maius pietatis studi-  
um, ardentior DEI & hominum dilectio: melior arbor: me-  
liores fructus.

Proinde ut meipsum & vos in hac schola discentes (utinam  
totam hanc civitatem: utinam integrum cariss. Pomeraniam:  
utinam universam Germaniam possem) ad veram pænitentiam  
agendam excusitem, extimulem, inflammem: hanc tubam infla-  
bo; hunc pænitentiae clangorem edam & hac brevi oratione in-  
citamenta, stimulos, calcaria pænitentiae complector.

Hac cum necessariò multis de causis vobis in memoriam hoc  
potissimum tempore revocentur: verba mea vobis ingrata esse  
nequeunt: sed buccinam hanc debita benivolentia & atten-  
tione audietis.

Oratio autem ita erit temperata, ut præter summè necessa-  
ria nihil sit allatura, eaq. brevibus comprehensura.

Rem sanè difficilem aggredior eamq. eiusmodi, ut nemo  
hactenus ad fastigium in ea supremum ascendere potuerit.

Quis enim oratione sua consecutus est, ut diabolicam huius  
mundi

mundi malitiam corri geret? ut impietatem omnino tolleret?  
Paucis licuit tam disertis, ut paucos emendantem, ipsi scilicet  
Christo, Prophetis & Apostolis, & p̄is verbi ministris serio offi-  
cium facientibus. Sed quid dico me tentare gravia? Imò de-  
spicatissima & omnium ludibrio & risui exposta. Quot enim  
sunt, quorum aures aut certè corda paenitentia concioni patent?  
Imò cavillantur & convicijs proscindunt salutaria monita tra-  
dentes. Sed licet sit res rari: non tamen est nullius exempli. Ezech. 33.  
Sūt licet contemtissima hæc paenitentie buccina plerisque: tamen Amos 5.  
non est omnibus. Licet multi Diabolica pertinacia imbuti & Ef 2.8.  
fascinati, cum suo proditore perire, quam cum monitore fidei Psal. 69.  
salvare velint: qui vocem παντολέπος ιακωπονίες diaboli,  
quam συνηθεῖ αλεξιδάς καὶ ἀποτεσμάς Christi audire malunt:  
tamen multi sunt, quos si malleo legis quatias; concutias; obtu-  
das; & contundas: si moveas; permoveas; si adhorteris; exhor-  
teris; si suadeas; persuadeas.

Ad vos igitur qui hoc estis animo sanabili, me converto;  
vos afflo; vos moneo, præmoneo, adhortor, rogo, quaeso, obtestor &  
obsecro. Si vobis ulla salutis cura: si non vultis incendio divi-  
no consumi: si homines estis: si Christiano vos esse profitemini.  
Si DEVM patrem, conditorem creditis, si Christum μείτην,  
ἰνέτην, λυτρωτὴν agnoscitis: si Spiritui sancto pectora vestra de-  
dicatis templa: Agite paenitentiam.

Hæc enim non hominis est voluntas, non consilium frivo-  
lum; non temeraria consultatio, non inutilis persuasio: DEVS  
jubet, mandat, imperat, præcipit, vehementissime, severissime;  
Divina est voluntas Domini dominantium: immutabile de-  
cretum omnipotentis: edictum summi Iehova; cuius potestas Apoc. 19  
caelos terrasque complexa est: cuius manus effugere nemo; cuius  
sententiam fallere nemo; cuius sapientiam comprehendere  
nemo potest: quem cælum & cæli cælorum capere & tenere; Reg. 3.  
nequeunt.

Non

*Non est terrestris principis sed cœlestis Monarchæ, neque  
civis, παντοχθόνος, πανταρέα illius, per quem, quæ sub vi-  
sum, auditum, omnesq; sensus cadunt, stant maxime: qui παν-  
τεπλης & καρδιογνώσης est, qui renum scrutatur scrinia, & cor-  
dis latebras rimatur: quem cogitatio hominum nulla fugit;  
qui in intima usq; penetralia sensuum introspicit. Qua ratione  
huius mandatum evitabis? quid dicetis? quid pretendetis?  
quibus verbis tanto Domino reluctabimini, qua prophasi vim di-  
vini edicti cludetis? quibus cogitationibus vos expedietis?  
date locum monitis: cedite voluntati sacrosanctæ, obtemperate  
mandatis illius, qui non gerentes sibi morem uno ictu oculi con-  
tundere, cvertere, & in auras dissipare potest.*

Ioh. 19.

*Si quid serio imperant mundani Domini: quamvis res  
sepè aut nullius, aut parvi sit momenti: aut parendum est, aut  
pœna danda. Qua arte, quo schemate & stratagemate posse  
vos eludere non potentis alicujus: sed omnipotentis mandatum  
existimat is? qui vult, ut aut amplectamur, quæ jubet: aut mi-  
natur extremas pœnas. Qui non, nt Athenienses suos νανθε-  
γος & maleficos in barathrum locum immensa profunditatis:  
aut sicut Lacedemonij in νεάδα noxios & damnatos deturbat &  
Matt. 22. præcipitat: Sed qui ligatis pedibus & manibus in tenebras  
exteriores, & in lacum aqua consolationis vacuum ejicit & de-  
Zach. 9. mittit, in inferna usq; πολυνόντως descendere jubet: eterno  
ploratu dicat, dedicat, destinat. Qui jurat tām praefractos,  
Psal. 95. obstinatos, duros, fleti nescios, pertinaces, απορρεχόμενos nun-  
quam introituros in requiem suam, in gaudia infinita, in vitam  
veram illam & eternam, que vita demum recte appellabitur  
Psal. 44. cum hec vita aut mors sit perpetua, aut certè calamitas.*

*Hunc metuite, ô Germani optimi, metuite, metuite, obe-  
dite, respiscite; agite paenitentiam, ô supremi, ô infimi, ô re-  
ges, ô subditi, ô doctores, ô auditores, ô patres, ô filij, ô matres,  
ô filiae,*

ō filie, o domini, o servi, o domine, o famula, o divites, o pauperes. Etiam Ethnicus monet: innocui vivite; numen Ovid.lib.  
adest.

i. de arte  
amandi.

Quis tanti Domini iram & indignationem: imo pœnas  
inevitabiles impijs & inexplicabiles non formidaret? Formi-  
damus homines: imo beluas; formidemus D E V M , cuius va- Ps. 139.  
lidissima dextra omnia penetrat & visitat loca: qui sibi vin-  
dicibus flammis contraria delet, ut dicitur:

Ἐξει Ἰησοῦς ἐνδίνει τὸ πῦρ α.

Home.in  
Barcaxo-  
muonaxa

Vindicem D E v s habet oculum.

Intercludit elabendi viam & hoc, quod hanc suam voceem  
non semel, sed centies: sed millies; sed infinites inculcat. Ipse  
præterea Filius DEI meritisimus noster Emanuel repetit: ite-  
rant omnes suggestus templorum, omnes cathedra scholarum,  
omnia æquaruntur resonant: quod testari possunt, vel ipsæ omni-  
um in Germania templorum columnæ: ipsa subcellia fatebuntur;  
ipsa pavimenta comprobabunt; ipsi suggestus; ipsa altaria;  
ipsa tecta, per qua exitum quesivit verbum pœnitentiae, cum  
aures & corda hominum ipsi non paterent: ipse aer sono cla-  
mantium Christi præconum percussus testimonium perlibebit.

Neg, verò Schola carent monitoribus: ipsa hæc, quam pe-  
dibus conculco, cathedra, ipsi parietes qui allisum repercutiunt  
sonum, ipsa scama, ipsa fenestræ loquentur & testabuntur quo  
ore, quo vultu, quo gestu, quo affectu, quo corde pœnitentiae hanc  
tubam me inflare audiverint.

Neg, verò divina maiestas sola; non miseri Evangelij soli:  
non magistri juventutis soli clamant & clamârunt: Agite  
pœnitentiam, ipsum sed celum & omnia astra, ipse sol, ipsa lu- Luc. 21.  
na; ipsa elementa; ipse aer, ipsa terra, volatilia cœli clamant; co-  
lumba testantur suo gemitu, deesse nostris cordibus veros ad  
D E V M gemitus: Corvinae voces suo injucundo cras cras,

B

expro-

*exprobrant impijs suam proerastinationem, qua de die in diem conversionem differunt: ipsa aqua, ipse paludes, ipsa maria pænitentiam nostram desiderant. Oceanus enim recusat pisces, terra negat frumenta; aér volucres non elargitur. Imò universa rerum natura clamat, proclamat, imò exclamat pænitentiam,*  
**Rom. 8.** *suspedit resolutionem & ab hac vanitate & impietate liberari desiderat.*

*Hæc ne sufficient monita? minimè. Novi mittuntur pænitentia præcones, recentes ira divinae proclamatores, priorum mandatorum renovatores strenui.*

*Ignem vidimus ex aere delapsum; sulphureas aspergimus massas excidisse supremis è regionibus: sanguineas sudavit cælum guttas, imò stagnorum aquæ cruentum induerunt colorem. Quid ista prodigia portendunt? Nonne monent, horitantur, clamant, prædicant pænitentiam? Nolite ergo committere, ut Christus occinat vobis, non quod regulo illi. Nisi viseritis signa & prodigia, non creditis: sed, cum sat signorum & prodigiorum, præter quotidianam pænitentia concionem, videatis & audiatis, tamen non creditis, nec credere vultis DEVVM vobis succensere. Certè si in peccatis vestris perseveraveritis; si neglexeritis salutares adhortationes; si DEI iussa sequi detrectaveritis: Christus jamjam extremum minabitur exitium, jamjam clamabit, non. V& tibi Chorazin, v& tibi Matt. 11. **Luc. 10.** Bethsaïda. Quoniam si in urbe Tyri aut Sydonis facta fuissent istæ virtutes, (signa, prodigia) olim in sacco & cinere scelerum suorum pænitentiam egissent: Sed v& tibi Pomerania, v& tibi Misnia, v& tibi Marchia, v& tibi Saxonie; imò tota Germania: quoniam si audivissent patres, avi ab avig. vestri in tenebris regni pontificij eiusmodi conciones, & vidissent eiusmodi signa, non vixissent in tanta, in quanta vos, securitate & impietate.*

*Non*

Non jam orationem suam dirigit ad urbem Capernaum,  
ipsig[us] dicet: Et tu Capernaum, quæ es usq[ue] ad cœlum exaltata  
usq[ue] ad inferos detrueris: Sed ad nos verba faciet, & jam  
jam exclamabit: Et tu Germania, quæ es ad cœlum exaltata,  
multis à me bonis & donis ornata, usq[ue] ad ima Tartara detur-  
baberis. Si hac sunt tenuiora & exiliora, quam ut animos ve-  
stros capiant, addite vestris cogitatis & hæc. Quos ad fines  
estis à DEO conditi? Nonne, ut imagines DEI, & non larvæ  
Diabolorum essetis? Archetypum habetis DEVM, quem si  
militudine exprimere debebatis. Cur disceditis à prototypo ve-  
stro, ad cuius exuvia estis conformati, conficti? DEVS amat non  
sordidissimam illam & contaminatissimam vario scelerum ge-  
nere vitam: puritatem querit, pietatem desiderat: mali-  
tiam ejusmodi odio habet. Spectate vestram electionem. Qua-  
re DEVS vos elegit? Num ut instar suum in volutabro cœni  
volutaremini? ut peccatis peccatis cumulareris? ut DEVM  
offenderetis? essetis radicata, piacula, sclera omnium pessi-  
ma? ut delectaremini iniquitate, & gauderetis impietate?  
ut in peccatis vestra esset voluptas, ut DEVM irritare & ad  
eram provocare esset vobis dulce & jucundum? & delicta  
vestra in delitijs haberetis? Absit. Sic enim ὅγειον DEI Pau- A&tor. 9.  
lus ait: Elegit nos antequam jacerentur fundamenta mundi, Ephe. 1.  
ut essemus sancti & irreprehensibles coram illo. Hæc ne no-  
stra sanctitas? hæc pietas? hæc irreprehensa vita nostra,  
quam DEO debemus? Nihil scilicet agere quod probetur vo-  
luntati divine; male agere sine pudore; ad nullas transgressio-  
nes mandatorum divinorum erubescere; omnis pudoris, juris,  
officij, humanitatis & Christianismi repugnula frangere; nullum  
peccatis obicem ponere; odiisse DEVM; odiisse homines; ab ipso  
non pendere solo; ipsius inviolabile nomen non sacrosanctum ha-  
bere; ipsius non reveri majestatem, virtutem, robur & poten-  
tiam;

Rom. 1. tiām; ipsi debitum negare honorem; detrectare officia cultus;  
ipsi non omnia nostra accepta referre; non gratitudinem decla-  
rare; non audire Evangelion Christi; quod est potentia ad sa-  
ludem omni credenti; non reverenter, aut non omnino uti sa-  
cramentis; sanguinem Christi pedibus conculcare, & spiritum  
gratiae contumelia afficere; Hæcne, inquam, est sanctimonia no-  
stra? hecne vita inculpata?

Videte igitur quid agatis, quò ruatis, quò precipitemini,  
quò feramini: considerate, quomodo finibus electionis vestra  
respondeatis.

Act. 20. Si hec cogitatio vos nondum occupat; si hic stimulus non-  
dum incitat & urget: propono vobis considerationem pretiose  
sanguinis Iesu Christi, & nostrorum.

Ioh. 1. Quæ causa movit Christum, ut id solveret? quem finem in  
solvendo spexitavit? Nonne ex amore immenso sponte se obtu-  
lit, propter peccata nostra, ut illa expiaret, ut iratum nobis mi-  
tigaret patrem, non, ut posthac peccato iterum, sed ut justicie  
viveremus, teste Petro. Subjicio & hoc vestris animis. Per-  
pendite illud fædus, quod cum DEO in Baptismo vestro pepi-  
gisti. In eas autem cogitationes descendere debetis, quoties  
nominibus vestris appellamini: ea sunt nobis præsumpta sani il-  
lius lavacri. Huius pacti vos meminisse decet, quoties fontem  
aliquem, vel guttulam aquæ minimam videtis.

Matt. 3. Quod est illud fædus? certè non leve & contemnendum,  
sed grave, magnum & stupendum. DEVS vos ibi recepit in  
Rom. 8. clementiss. suum gremium; adoptavit vos in filios; dedit jura  
Ioh. 1. hereditatis honorum cœlestium, affirmat vos sibi placere.

Hoc gremio se ipsum evolvere qua insania est? quis furor?  
Nihilominus tamen id facere non desimus. Christus exuta  
veste immunda & inquinata mundam salutis tunicam, & al-  
bam innocentia stolam induit, in hoc amictu cariss. patri vos  
atuit,

statuit, & unicè commendavit, & ablutos & rubea veste sūt  
sanguinis ornatos acceptari petiūt; collocavit in sinum patris  
dulcissimum. Que jam dementia c̄st fādam tunicam à Christo  
ablatam, peccatis squalentem recipere, & vestem justicie can- Esa. 61.  
didam abiecere? Id autem facimus omnes; polluimus quod  
Christus abluerat. Spiritus quoq; Sanctus suā vos presentiā  
in sacro illo fonte obumbravit, promisit consolationem & patro-  
cinium, & quod vellet in templis vestrorum cordium divertī,  
instigare ad omnia bona; ver& flamas fidei incendere; arden- Rom. 8.  
tissimis flagrantium vestrorum cordium prunis fragrantissima  
thura piorum gemituum, suspriorum & precum imponere, re- Gal. 4.  
gere, defendere, in omnem veritatem ducere, in vobis & per vos  
Abba pater clamare; gratias agere, contestari spiritui vestro Ioh. 16.  
quod essetis filij DEI, & coheredes Christi, & interpellare pro Gal. 4.  
vobis inenarrabilibus gemitibus sanctissimè pollicitatus est.

Nunc paracletum non admittere, hospitium cordis ipsi ne-  
gare, è templo ipsius cloacam Satanae facere, quarabies? qua-  
rementia est? Id autem sit vestrīs peccatis & imp̄nitentiā.  
Hac promissio nobis facta c̄st à sacro sancta Trinitate. Vos repro-  
missis fiduciam in hunc solum, trinum & unum D E V M ve-  
stram fore: Vos hunc unum agnitos & cultuos; huic uni  
servituros: Diabolo & omnibus ejus consiliis & instrumentis  
valedixistis, repudij libellum de distis renunciastis, dejerastis:  
jurasti D E O; Satana omnem obedientiam denegasti. Stabi-  
litum est hoc fædus, firmatum jurejurando, affirmatum, con-  
firmatum. Scd quando semel recordamini hujus pacti? quan-  
do hujus conventionis memoria vos obrepit? quando hujus D E O  
factae pollicitationis meministis? Cogitate ô homines, cogitate  
crebro hoc juramentum D E O præstitum, hanc fidem datam, hoc  
bonagium animis inhæreat & oculis. Nescitis illud Poëta?

Tibul.lib  
1.eleg.9.

Ah miser & si quis primò perjuria celat :  
Sera tamen tacitis pœna venit pedibus.

Discite ergò, discite justiciam moniti & non temnere Chriſtum.  
Neq; verò hoc silentio obruendum eſt, quod, et ſi poſt baptiſmum  
labimur; fædus frangimus; promiſſis non ſatiſfacimus; tamen  
pœnitentia portus ſit ſalutis, & medicina Recidivæ.

Lubrica enim cum ſit via mundi: cum Satanas mille ſtruat  
inſidias & noverit infinitas technas, ut eſt mārtyrū, & frau-  
dulenti artificis ſuſurris caro noſtra facile cedat: Humanum

Eph. 6. quidem eſt errare & hallucinari: ſed reſurgendum eſt; Dia-  
Matt. 6. boli nov̄e illius tela gladio Spiritus sancti ſunt excipienda &  
Luc. 11. elidenda; redeundum eſt ad ſanam mentem. Perſeverare e-  
Cic. 12. nim in errore eſt Diabolicum. Quod & Ethnicus affirmat:  
Philip. Cujusvis eſt errare: nullius niſi inſipientis perſeverare in er-  
rore. Et hic tempeſtivè eſt iſis admonendi de clave abſolutionis  
& mensa Domini.

Si primam amifſitſis anchoram; factum in baptiſmo fædus  
rupiſit: Secundam jacite pœnitentia anchoram: ad hunc por-  
Prov. 24. tum appellete. Cadit enim justus de die ſepties, ſed reſurgit.

Hujus rei ut tanto major peccatori eſſet certitudo; ut cer-  
tè poſſet ſtatuerere, ſe non fruſtrari: juramento ſe Deus ipſi ob-  
Ezech. 18. ſtringit: Nolo, inquiens, mortem peccatoris, ſed ut converta-  
& 33. tur & vivat, tam verè quam vere. Ego Jeſhua vivo. O bea-  
Tertul. lib. de pœnitent. tps, quorum cauſa jurat DEVS. O miſerrimos, qui ne juranti

Quando autem DEVS ſe vobis devincit, expeſat mutuam  
a vobis obligationem, ut vos quoq; tam verè quam animam ali-  
atis & ſpiratis, velitis converti, cum ipſe tam verè, quam ater-  
nus vivit DEVS vestrā velit & expeſat conveſionem.  
Hec gratia & miſericordia, hujus beneficij magnitudo plenis  
buccinis & buccis decantanda & prediſcenda eſt, quod ſcilicet  
DEVS

DEVS talem potestatem conversis remittendi peccata, dedit ho- Mat. 9.16  
minibus. Ioan. 20.

Suntio corporis & sanguinis Domini vobis est pignori, quod  
hac remissio non sit ficta, sed vera, si modo vos non ficte, sed ve-  
re vestrorum peccatorum paenituerit.

Quomodo enim tantorum bonorum particeps haud fieret, Mat. 26.  
qui ore & fide corpus Domini manducat, & e vulneribus Chri- Mar. 14.  
sti manantem cruorem, emundantem nos ab omni peccato, ore & Luc. 22.  
fide percipit? Cum, qui solo ore sine fide, edit & bibit, ad mor- 1. Co. 11  
tis iudicium corpore & sanguine Christi vescatur. 1. Ioh. 1.  
Confes-

Quoties ergo videtis ministros Christi in cathedra paenitentiae stare, confessiones peccatorum audire; nomine & autori- de cena.  
tate Christi a peccatis absolvere: imo quoties cernitis altaria;  
quoties mensam Domini adornari conspicitis, aut vel pinnas  
templorum per multa milliaria conspicuas conspicamini, vos  
quoque cupiditas paenitentiae ex hac recordatione incessat, lacestat,  
moveat, permoveat.

Si restat adhuc pertinacie studiu, & ouληγοναρδια nondū est  
sublata; intuemini heroas illos, qui & lapsi sunt & resurrexe- 2. Sam. 11.  
runt; se polluerunt; sed iterū abluerunt: Vir DEI David magnus 12. 24.  
ille rex & propheta divinis, etiā ardebat illiciti amoris flaminis,  
& manus violentas suo subdito afferebat. Sed deprecabatur cul- Psal. 51.  
pa, veniam impetrabat, paenitentiae auxilio & remedio sanitati 130.  
relitur, qui peste peccatorum infectus erat.

Sic Manasses. Sic Ninivitis, cum vehementissime invoca- Ioh. 3.  
rent DEVm, paenitentiam agerent, parcebatur.

Si plura desideratis exempla. En vobis Petrum Apostolum, Mat. 26.  
En Zacheum. En filium prodigum, En latronem in cruce, En Luc. 19.  
publicanum. En fæminam peccatricem & alios plurimos. Lucæ 15.  
73.18.

Ecce vobis vestigia: insistite: Ecce duces: sequimini: Ecce  
comites: unâ ite: Ecce oculos: videte: Ecce aures: audite: Ecce  
pedes: incedite.

Quid

*Quid delitescitis in vestra cæcitate, cum Lynceos possitis habere oculos? quid jacetis in sordibus, cum in puritate ambulare queatis? Quid obtusas advertitis aures, cum acri possitis frui auditum? cur eligitis captivitatem pedum & compedes, cum solutis liceat suris & plantis ingredi? Quicquid illis contingit, & vobis contingere potest. Si accidit cum illis labi, accidat & cum illis resurgere. Parum clementia & pietate vos complectetur cœlestis pater, quā complexus est omnes ad se reversos & conversos. Expectat enim vestram pænitentiam.*

*Si nondum sat roboris ad movendum habuit oratio, quæ proprias vestras spectate utilitates, & allicimini præmij promissis.*

**1. Tim. 4.** *Habet autem pietas promissionem huius vite. Beatum digit scriptura eum, qui timet Dominum. Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedrâ pestilentiae non sedet: Aut, si abiit, non abit amplius: si stetit, non stat amplius: si sedet, non sedet amplius.*  
**Psal. 1. 128.** *Salomon inquit: Benedicetur capiti justi.*

**Deut. 28** *In Pentateucho Mose inquit Iehova: Si audieris vocem Domini Dei tui, ut facias atq[ue] custodias omnia mandata eius: benedictus tu in civitate; benedictus in agro; benedictus fructus ventris tui, & fructus terræ tue, & fructus jumenti tui.*

*Nonne hec benedictio est amplissima, quam promittit Deus p[ro]p[ri]js? Nonna vita huius felicitas & prolixitas est beneficium Dei longè optimum & munus præstantissimum? illam autem morigeris pollicetur.*

**Matt. 18.** *Huc accedit, quod Angelos p[ro]p[ri]j habent custodes & vigiles:*  
**Ebr. 1.** *Imo angelica agmina gaudent in cœlis super uno peccatore restante.*  
**Luc. 15.** *piscente. Quantum existimatis fore gaudium in cœlesti aula, si multi ad Deum convertantur: Si tota Pomerania agat pænitentiam: Imo tota Germania. Quid? Quod Spiritus sanctus*

sanctus quotidianus est hospes eorum, qui salutarem amplectuntur conversionem, & in cordibus eorum sacros generat motus, sufflat flamas fidei, & ardenteris precationis existit autor.

Magna narras, inquis; sed sunt hæc tenuia; sunt exilia: sunt momentanea: Paulô: Quid dico paulo, immo multò & infinitis modis maiora sequentur: Pietas habet quoque promissionem. <sup>1. Tim. 4</sup> future vitae.

Si peccata odio habueritis, si declinaveritis mala, & feceritis bona, eritis participes omnium illorum bonorum & gaudiorum, quæ preciosi sunt sanguine Christi parta & parata.

Ea autem sunt tanta, ut nec lingua verbis exprimat, nec Esa. 6. 4. oculorum auriumque sensui subiecta sint, nec cogitando exhaustiri 1. Cor. 2. possint. Neque vero apparuit adhuc quid ibi futuri simus. Ibi 1. Ioh. 5. sine peccato, sine erroribus, sine caligine Dei misericordiae & luce Cyprian. fruemini. Hæc domicilia sunt caduca & incerta: illa sedes erit eterna. Hic sunt tenebrae: ibi lux.

Hæc vita est paucorum dierum, aut si diurna est, anno- Iob. 14. rum: Illic apud Deum beati sempiterno fruemini ævo. Ibi Syrac. 14. Deus erit finis desideriorum vestrorum: Illum sine fine videbi- Psal. 90. tis: sine fastidio amabis; sine fatigatione laudabis: voce in- 1. Co. 1. 3 cessabili Sanctus, S. S. canetis. Resipiscite ergo, resipiscite, mecum, Symbol. ô incliti Domini, ô amici, ô inimici, ô benevoli, ô malevoli & in- Amb. & vidia veneno tumidi, resipiscite, ne excludamini his bonis, ut August. cœli consortes reddamini, ut perpetuam post hanc cum Deo vivatis vitam.

Sed video mihi audire prætententes huius difficultatem negotiū. Excusationem non accipio. Etsi enim molestiam aliquam concesserim: tamen Spiritum Sanctum opitulatorem Luc. 1. 11. Deus promittit petentibus.

Quomodo autem infert alius, possum voti mei compofieri? quâratione? quibus instrumentis? Occasio non deest,

C inſtrumen-

instrumenta adsunt. Petite adyta sacra; audite pracones Christi, illi monstrabunt viam. Quoties auditis conciones sacras (debetis autem quotidie audiare) aperite oculos, aures & corda vestra: intromittite Spiritum Sanctum per fores aurium in pectora vestra: ille non vult aures, oculos & corda sibi claudi, Psal. 95. sed aperiri. Hodie, inquit, si vocem meam audiveritis, nolite obturare aures, & obdurare corda vestra. Si ipsi patuerit accessus, removebit omnem difficultatem: tollet scrupulos & scopulos, fidei autor existet, molliet dura viscera, docebit vos orare & Deum precibus obsecrare.

De hoc igitur praetextu non habebitis amplius, quod dicatis. Denique, si nulla vos allatarum occupat & capit rationum: tercent vos pericula; moveant incommoda, damna, exitium extrellum, maledictio aeterna: impellat vos immensa Dei ira, que est ignis consumens.

Deut. 4. Non enim levia tantummodo incommoda: sed maxima: Ebr. 12. sed tremenda: sed inexplicabilia sequuntur talem pertinaciam & impietatem.

In modo presentes pena sunt conciones paenitentiae. Quid preputus iste armorum? quid famae dira? quid pestis atrocissima? cur immittuntur illa a Deo? Nonne sunt signa impietatis nostrae? Nonne ab ista malitia nostra nos abstinere jubent? paenitentiam exclamat? pietatem poscunt? Sic est.

Vt enim pietati promittitur haec & futura vita: ita eadem impietati negatur. Ut pietas ubique est benedicta; ita maledicta impietas. Ut boni assequuntur vitæ felicitatem; ita mali infelicitatem, ut Theocritus inquit:

δοτεέων παύδεσσι τὰ λώια; δυοτεέων δί' ε;

Matt. 3. Securis radici arboris nostræ apposita est; si non feret fructum Matt. 21. bonum, excindetur. Et ut Christus sic cui maledicit infructuosa: Sic omni impi. Has

Hæc non esse inania terriculamenta, ut mox oratione ad ter-  
rendos infantulos effecta, non vacua sine rebus verba; non effe-  
ctu carentia dicta existimatis. Historia enim diversum fa-  
ciunt testatum.

Quid acciderit primo mundo, quomodo omnes, exceptis Gen. 7.8.  
octo illis in arca Noe servatis, aquis de cœlo lapsis sunt suffocati, 2. Pet. 2.  
nostis omnes.

Quam horrenda pœna Sodomitas everterit, non ignoratis, Gen. 19.  
redacti scilicet sunt in cineres, igne & sulphure calitus lapsis  
absunti.

Quomodo impios & pertinaces Iudeos puniverit Deus, Mat. 23.  
non latet vos: Sed nostis ex historia excidij Ierosolymitani. Luc. 19.  
Cælestis rex irascitur, mittit exercitum suum, & succedit il- Mat. 22.  
lorum civitatem, qui invitati ad pœnitentiam, & salutis cœ-  
nam nolunt venire. Eandem minatur nobis pœnam Deus: Luc. 14.  
idem exitij genus portendunt prodigiosa ignium, sulphuris &  
sanguinis pluvia.

Audistis horrenda & stuporem penè inducentia supplicia  
impendere ijs, qui in malitia perseverant suā: sed levia sunt hac  
collata cum ijs, que sequuntur.

Horrorem & metum incutiunt dicta: sed animum planè  
auferent quæ dicentur. Fine carent quæ audistis, habent ter-  
minum & cum vitâ desinunt: quæ jam addemus sunt æterna,  
carent fine, modo, termino; sunt dictu horrenda, imo dici neque- Mat. 3.5.  
unt; mens assequi non potest. AEternas metuamus pœnas, gen. 2.5.  
hennam timeamus, inferni inexhaustum barathrum; tenebras  
illas Erebi; illud domicilium miserrimorum & perpetuorum Mat. 22.  
cruciatum; ploratū, ignem illum ἀνάπτων, extinguiri nescium. Mat. 3.  
Hæc sedulo cogitetis ô homines, ô Pomerani, ô Germani omnes.  
Discite quam necessaria sit pœnitentia: discite tanto accura-  
tius, quanto propior est finis mundi; quanto brevius post spa-  
tium

tiū impī dabunt aternas pñas. Carissimi redite ad meliores fruges, aut certè ignis de cœlo lapsus nostras civitates succedet: aut sulphureo factore peribimus; quemadmodum sodomitæ & Gomorrhei: aut cruento balneo sudabimus; non undis, ut primus mundus, sed proprio mergemur sanguine.

*Aut suprema lux iudicio destinata incantos, securos & impenitentes inopinata vos obruet, & damnationi dicabit. Quid enim aliud significant ignes, sulphura & sanguines ex aere flillantes.*

Quemadmodum autem nauclerus prudens, studio & excitatione adiutus, potest tempora nosse, quibus naves educendaे navalibus, & ventorum alioquin perplexissimas tenet rationes; neq; minus vias, itinera, semitas, tractus, compendia & diverticula vastissimi maris vel noctu callet, quam sui oppidi vicos & plateas: neq; minus cavet scopulos & Syrtes, quam nos equos, plaustra & forreas: Sic vos auxilio Spiritus sancti sciat tempora, quibus naves vestra peccatis onusstæ navalibus impenitentie sint educenda, & inquiratis ex verbo Dei, que ad salutem vestram faciunt: eviteris peccatorum scopulos: Diaboli Syrtes; ne naves vestreæ collidantur, sed ut tandem per vastissimum mare huius mundi vectæ ad beatam aeternæ vita portum appellant.

Cum igitur divina vox paenitentiam præcipiat, & totarum natura una cum prodigijs ad emendationem vita hortetur:

Gen. I. cum Aegætūs Dei; ad cuius sumus conditi effigiem, nos exemplum deceat efformare: cum electi & redempti sumus ad id, ut inculpatam vivamus vitam: cum sacramenta nobis calcar ad paenitentiam quotidie addant: cum vestigia divinorum herorum monstrantur: cum allicant commoda & præmia finita & infinita: Cum Spiritum sanctum & dñe habeamus: cum aeterna demum damnatio que jam jam pertimescenda est, paenitent-

nitentiam agere jubeat: rogo, moneo, hortor, obtestor, & obsecro  
vos, ô senes, ô pueri: ô viri ô famine: ô Pomerani ô Germani,  
omnes universos & singulos: parete monitis: auscultate dictis:  
consulite commodis vestris presentibus & perpetuis: antever-  
tite internectionem vestram, convertimini, agite paenitentiam.  
Desinite cum Davide vagis inflammari libidinibus: cum Ma-  
nasse tyrannidem deponite: cum Zacheo lucra iniusta reddite:  
fugite mala omnia, & facite, quae bona sunt. Psal. 34. Rom. 12.

2. Sam. 11  
& 12.  
2. Par. 33  
Luc. 19.

Vtinam quanta mea semper erga vos universos quos appello,  
si juniores & inferiores fuit benevolentia; si seniores & supe- Dama-  
riores observantia (testor ἀλάτην νῷ πάντων ἐπαγγελμάτων Deum) tan- scenus.  
ta vicijsim vestra esset ad parendum pījs monitis facilitas; tam  
insignis propensio & promptitudo.

O si jam facunda & flexanima Peitho, quam Graci Φυχαγώ-  
νο vocant, divinis excitata flatibus, adesset verbis meis: ô si  
oratio tantam haberet vim, ut dura, saxe, ad amantina, fran-  
geret, molliret pectora, ut dura & cervicis & præfrastos inclina-  
ret: repugnantes & adversantes caperet: stantes verò in bono  
suo proposito corroboraret.

De Amphione apud poëtas est fabula, quod saxa ad Theba-  
nos muros condendos sono testudinis & prece blanda, ut inquit Horat.  
Horatius, pertraxerit. Et de Orpheo comminiscuntur & in- in arte  
geniosè singunt, quod lyra sua tantum valuerit, ut illius can- Poëtica.  
tu syllas & saxa moverit, fluviorum cursum prohibuerit, se- Ibid.  
rasq; mitiores reddiderit.

Vtinam verò ego divina hac sacri verbi testudine & cæ-  
lestia sonantis tube clangore, hisq; pījs monitis vos, inclitos Ger-  
maniae populos traherem, pertraherem, moverem, permoverem,  
hortarer, exhortarer, ducerem & eò deducarem, ut ad muros  
vera cum Deo pacis & reconciliationis condendos faciles vos  
praberetis.

Non enim, ut Amphion, saxa moveo & moneo : sed vos homines: sed imagines Dei : sed Christo qui dedistis nomina : sed inauguratos Ecclesie Dei : sed precioso Christi sanguine redemptos: sed primitijs Spiritus sancti ornatos : Germanos ; non Garamantes.

Si autem adhuc quadam adeò saxeà, adeò sylvestria ; adeò feritatem beluinam p̄ se ferentia ingenia sunt : Utinam dulcissimo huius buccina sono & hac lyra divini Orphei Spiritus sancti duritiem lapideam tollere, sylvestres mores & peccatorum fluvios prohibere, & immitia pectora mansuefacere & adeò perdomare possem, ut paenitentiae jugo colla insererent.

- Ioh. 6. Sed converto me ad te ô fons omnis boni Iesu Christe , qui solus habes verba vita; cuius vox vero est πανδεληνός omnia demulcens & deliniens : cuius verba sunt penetrantiora ancipiendi quovis gladio, cuius ori vis inest illa fletētandi animos, quam πάθος vocant flexanimam: te unicè votis flagrantissimis oro : Mitte Ioh. 16. dulcissimum Orpheo tuum, quem promisisti Spiritum sanctum 15. in corda nostra, percute, contunde, emolli saxa illa malleo legis tuae; scinde ligna illa securi crucis : finde tuæ potentiae cuneo truncos illos, refractarios, contribula: humilia altas illas arbores: feroce & effrenatos Cyclopes & Corybantes insanos compescere, coēerce, doma; dentes eorum confringe : Mitte, inquam, mitte tuum Orpheo cœlestem, qui, quicquid est rigidum instar lapidis potest fletere, qui, quicquid glacie frigidius, potest fovere Ecclesiæ & calefacere; qui arida rigat: devia regit: saucia sanat: cuius cant. vi & virtute sacra verba penetrant ossa & medullas; aspergimâ levigant, dolant & divinâ suâ limâ asperitates omnes abradunt; caudices & stipites poliunt, aptant, & cuneo sue virtutis transadigunt, dividunt.

O Christe fac me voti compotem , ô Fili Dei exaudi preces nostras: converte nos, paenitentiae amorem in nobis gigne; flammas

mag

mas fidei suffla, ut te solum amplectamur redimentem, salvantem, beantem.

Hoc te, ô unica nostra salutis porta, ô clementissime Immanuel Dei genitrix, ô mitissime salvator totis pectoribus, per vulnera Esa. 7.  
tua salvifico cruento, salutis nostrae merito, manantia, supplices i. Ioh. 1.  
rogamus, obtestamur, obsecramus, Amen, Amen, Amen. Act. 20.

## DIXI.



### AD PROCRASTI- NATORES:

Quid cessas? Resipisce Deus jubet, & vocat hora  
Ultima: supplicij vis metuenda venit.









Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/  
rosdok/ppn730088413/phys\\_0028](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730088413/phys_0028)

DFG

Hac non esse inania terriculamenta, ut pog-  
rendos infantulos efficta, non vacua sine rebus  
et uarentia dicta existimetis. Historiae eni-  
ciunt testatum.

Quid acciderit primo mundo, quomodo  
octo illis in arca Noe servatis, aquis de cœlo la-  
nostis omnes.


Quam horrenda pœna Sodomitas evertere  
redacti scilicet sunt in cineres, igne & sulpho  
absunti.

Quomodo impios & pertinaces Iudeos  
non latet vos: Sed nostis ex historia excida-  
Cælestis rex irascitur, mittit exercitum suum  
lorum civitatibus, qui invitati ad pœnitentiam  
nam nolunt venire. Eandem minatur nobis  
idem exitij genus portendunt prodigiose ignis  
sanguinis pluvia.

Audistis horrenda eorum stuporem penè indi-  
impendere ijs, qui in malitia perseverant suā:  
collata cum ijs, quæ sequuntur.

Horrorem & metum incutunt dicta: se-  
auferent quæ dicentur. Fine uarent quæ au-  
minum & cum vitâ desinunt: quæ jam adde-  
uarent fine, modo, termino; sunt dictu horrendi  
unt; mens assequi non potest. AEternas met-  
hennam timeamus, inferni inexhaustum bar-  
illas Erebi; illud domicilium miserrimorum  
cruciatuum; ploratu, ignem illum ἀνάπαυσον, e-  
Hæc sedulo cogitatis ô homines, ô Pomerani,  
Discite quam necessaria sit pœnitentia: dis-  
pius, quanto propior est finis mundi; quanto

C 2



the scale towards document

↑

tis Gen. 7.8.  
ti, 2. Pet. 2.

is, Gen. 19.  
sis

is, Mat. 23.  
ni, Luc. 19.

il- Mat. 22.  
æ-

is: Luc. 14.  
cō

cia  
bac

anē  
er-

na,

ue- Mat. 3.5.  
ge- 2.5.

ras

rum Mat. 22.  
um. Mat. 3.

nes.

ura-

spa-

ium

↑

Patch Reference numbers on UTT

Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. C 2